

in ramos divisus, filiformes: Folia longè petiolata, ternata, foliolis obcordato-cuneiformibus, lateralibus subsessilibus, omnibus ambitu exteriori denticulatis: Stipula utrinque ad petiolorum basim, ovato-lanceolata, nunc obsolete denticulata, nunc integerrima: Pedunculi axillares, filiformes, nudi, folio longiores: Flores 6 — 10 in capitulum congesti, duo circa millim. longi, brevissimè pedicellati, bracteolis minimis in pedicello munitis: Corolla lutea. Calyx tubulosus, profundè quinque-dentatus, dentibus subæqualibus, lineari-setaceis: Corolla duplò calyce longior, papilionacea; vexillum oblongo-obovatum, emarginatum, erectum: Alæ paulò breviores, lineari-obtusæ, in unguem attenuatæ; carinæ petala ovata, basi in appendicem exserta, hinc abruptè in unguem attenuata, vexillo breviora: Filamenta decem connexa: Legumen lineare, complanatum, utrinque attenuatum, stigmate persistente, globoso, utrâque suturâ pectinato-spinulosum, uniloculare, polyspermum, in spiram involutum, valvulorum plano, volutæ axi, parallelo.

H. in aggeribus arenosis Magnæ Syrteos.

Expl. TAB. XIX. fig. 2. a flos magnitudine naturali; *b* idem auctus; *c* corolla; *d*. carina; *e* legumen explicatum; *f* idem microscopio auctum, uti excusso flore observatur; *h* foliolum lente inspectum.

Obs. Legumen cochleatum cum duobus nunc generibus in eadem familiâ conveniat, Medicaginis genus sequenti modo reformare necesse est:

MEDICAGO CHAR. ESSENT.: Legumen spirale; valvularum plano axi spiræ perpendiculari, suturâ exteriori longiore.

TRIGONELLA PETIOLARIS: Leguminibus subcapitatis, pendulis, pedicellatis, subfalcatis; petiolo duplò pedunculos superante; foliolis obcordato-cuneatis; stipulis obliquis, ovato-acutis, profundè dentatis. **TAB. XVIII. fig. 5.**

Tota planta longis rarisque pilis, adspersa: Caulis debilis, decumbens, teres, striatus: Folia longè petiolata, ternata, foliolo medio pedicellato, lateralibus paulò minoribus, sessilibus, omnibus cuneato-obcordatis, ambitu exteriori inæqualiter raris dentibus, quandoque obsolete notato, subtus nervosis; stipulæ dimidiato-ovatæ, acutæ, aliàs ovato-lanceolatæ, profundè dentatæ: Pedunculi axillares, petiolo duplò breviores: Flores cernui, in racemum capituliformem dispositi, pedicellati, bracteolâ lineari acutâ, ad pedicellorum basim muniti, lutescentes: Calyx tubulosus, albicans, quinque-dentatus, dentibus lanceolatis, adpressis, superioribus paulò longioribus: Corolla duplò ferè calyce longior; vexillum obovatum; alæ, et carina longitudine vexilli: Stamina diadelpa: Legumina cernua, compressa, lineari-acuminata, subfalcata: at nondum perfectè matura observavi.

H. in pascuis Cyrenaicæ.

Expl. TAB. XVIII. fig. 5. omnia ad lentem inspecta; *a'* vexillum; *b'* alæ; *c'* carina; *d'* legumen cum calyce, *e'* calyx cum staminibus et germine.

SCORZONERA SERRULATA: Caulibus unifloris; foliis linearibus, calyceque glaberrimis; seminibus tuberculato-serrulatis; foliis lineari-acuminatis. **TAB. XVII. fig. 4.**

Radix simplex, crassiuscula: Caulis adscendens, subsimplex, glaber, infernè foliosus, cæterum nudus: Folia linearia acuminata, striata, plana, margine scarioso, inferiora, basim versùs sensim dilatata, amplexicaulia, superiora sessilia: Flos terminalis, maximus, ferè 5 centim. longus: Calyx subcylindricus, glaber, foliolis imbricatis, exterioribus duplò triplòve longitudine minoribus, ovato-acutis, interioribus sensim ovato-lanceolatis, tandem lineari-

lanceolatis, omnibus margine submembranaceo: Corolla purpurea, calyce duplò longior; semiflosculi tubus filiformis, apice paulò incrassatus, hirtus; ligula truncata, quinquentata: Antheræ in longum tubum coalitæ: Stigma bifidum, exsertum: Semina subcylindrica brevia, multi-angulata, anguli toti tuberculis acutis asperati, in serræ modum dispositis: Pappus densus, setis apicem versùs simplicibus, infernè plumosis: Semina nondum perfectè matura vidi.

H. in pratis Cyrenaicæ.

Expl. TAB. XVII. fig. 4. o flosculus cum semine et pappo; *n* semen.

SONCHUS TINGITANUS: *Willd. Sp. Pl. III. p. III. 1516. Smith Fl. gr. Prodr. II. p. I. 126. PICRIDIMUM tingitanum: Desfont. Fl. atl. II. 220.*

H. in montibus Cyrenaicis.

APARGIA TARAXACIFLORA: Setuloso-hispida; foliis sinuato-pinnatifidis; floribus paniculatis; calycis foliolis exterioribus laxis. TAB. XXII. fig. 1.

Tota planta setulis albicantibus, patentibus hispida: Radix simplex, annua: Caulis hinc inde ramulosus, teres, ramis superioribus in pedunculos elongatis, nudiusculis: Folia radicalia sinuato-pinnatifida, longè in petiolum attenuata, laciniis obtusis, inæqualibus; superiora laciniis profundioribus, angustioribusque: Flos 1 cent. longus: Calyx ex hemisphærico cylindricus, densus setulis hispidus, calyculatus foliolis duplò brevioribus, lineari-acutis, laxis; foliola interiora duplici serie disposita, lineari-lanceolata: Corolla lutea, paulò calycem superans; ligulæ truncatæ, quadridentatæ, tubus hirsutus: Semina linearia, brevia: Pappus sessilis, piloso-plumosus, laxis: Receptaculum excavato-punctatum, pilis sparsum.

H. prope Cyrenem.

Expl. TAB. XXII. fig. 1. b semiflosculus cum semine; *c* semen cum pappo; *d* pappi radius; *a* receptaculum.

APARGIA HASTILIS: *Willd. Sp. Pl. III. p. III. 1548.*

Var. β scapo squamuloso, foliis pilis simplicibus, margine præsertim, hirtis. *Nob. TAB. XXVI. fig. 1.*

H. in Cyrenaicâ.

Obs. Licet non absque oscitantia hanc plantam in varietatem *A. hastilis* recipiam, nolo tamen novam speciem condere in genere ubi consultius esset nonnullas expungere, quàm novas adicere. Foliis, glabritie scapi calycisque cum *A. hastili* quidem, et magis quàm cum reliquis congruit; at folia pilis raris sparsa; scapus squamulosus, non nudus, et quod majoris momenti differentiam præbet; calyx non basi tantum squamis nonnullis parvis munitus, sed reapse imbricatus.

Expl. Tab. XXVI. fig. 1. a flosculus cum semine et pappo.

HIERACIUM SIMPLEX: Scapo simplici, unifloro, prope calycem incrassato, squamifero; foliolis calycinis, unicâ serie, in cylindrum conniventibus; foliis obovato-ellipticis, sinuato-dentatis; seminibus apicem versus coarctatis. TAB. XIII. fig. 4.

Radix simplex annua: Folia omnia radicalia obovato-elliptica, sinuato-dentata, dentibus utrinque duobus tribusve, pilis brevibus ad lentem hispidula: Scapus uniflorus, vix 7 cent. longus, glaber, prope calycem incrassatus, squamisque tribus, quatuorve, lineari-acutis munitus, per ætatem defluentibus: Calyx cylindricus, foliolis 8 — 9 basi veluti coalitis, lineari acutis, conniventibus; dorso nervosis, hirsutisque: Corolla lutea, calyce duplò longior: Ligulæ truncatæ, quadridentatæ, tubus lævis: semen lineare ovatum, apice coar-

